



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *ESCUINTLENSIS IN GUATIMALA* * PRAELATURA
TERRITORIALIS ESCUINTLENSIS IN GUATIMALA AD GRADUM
AC DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR SERVATIS IISDEM FINIBUS ET NOMINE

Cum praelatura territorialis Escuintlensis hisce recentioribus annis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud parva incrementa cepisset, Venerabilis Frater Gerardus Humbertus Flores Reyes, sacrorum Antistes Verae Pacis atque Conferentiae Episcoporum Guatimalae Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut haec praelatura territorialis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Nos vero existimantes id in animarum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi, in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, praelaturam territorialem Escuintlensem ad gradum et dignitatem dioecesis attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et nomine. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Escuintla » ponimus, ibique exstans praelaticium hucusque templum, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculae dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia honoresque tribuimus. Praeterea dioecesim Escuintlensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Guatimalensi eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Guatimalensis subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae Episcoporum residentium propria sunt. Mandamus etiam ut quam primum ibi Collegium Consultorum ad normam iuris constituatur qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus atque omnibus bonis temporalibus, quae ad dictam praelaturam pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem adque sacrorum alumnorum institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum: selecti quidem iuvenes sacerdotes, sua studia completuri, Romam, si fieri potest, mittantur.

Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus,

quae sacri canones praescribunt ad amussim servantur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerus, eidem praelaturae adscriptus, novae dioecesi incardinatus censeatur. Insuper Venerabilem Fratrem Ferdinandum Claudium Gamalero González, memoratae praelaturae Ordinarium, ipsius dioecesi Escuintlensis Episcopum ac Pastorem confirmamus. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Ioanni Baptistae Morandini, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Guatemala, eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas fueri remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Iulii anno Domini millesimo nonagesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*
Iacobus Drago, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 12, pp. 934-935

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana